



TEMPORIS EXPRESSIO

1 – GRAMMATICA ELEMENTA

a – Per adverbium

QUANDO?

Hodie, heri, cras, interdiu, noctu, mane, vespere, nunc, tum, tunc, ibi, mox, brevi, sero, simul, statim, repente, continuo, olim, quondam, pridie, postridie, nuper, modo, antea, postea, interea, primum, ultimum...

ANTE + accusativum (e.g. *ante imbrem; Accidit ante duos annos*)

POST + accusativum (e.g. *post adventum Alexandri; Veniet post tres dies*)

IN + accusativum (e.g. *in crastinum diem te videbo*)

INTER + accusativum (e.g. *inter ova et mala*)

QUAMDIU? QUOUSQUE? QUAMDUDUM?

Diu, jamdiu, jampridem, paulisper...

QUOTIES?

Numquam, semel, *singulis mensibus*, bis (e.g. *bis in mense, ter in binis mensibus*, etc.), alias, rursus, quotidie, quotannis, raro, nonnumquam, saepe, interdum, crebro, plerumque, fere, semper...

b – Per sententiam subordinatam

QUANDO ?

Ablativo absoluto:

Galliā subactā, regressus est Caesar Romam.

Cum conjunctione:

+ **indicativum** indicant factum unicum vel iteratum, re vera autem actum.

Ut, ubi, cum, ubi primum, simul atque, antequam, postquam, dum, quotiescumque

+ **subjunctivum** indicant rem quae ab alia re pendet aut rem cogitamat.

Cum, antequam, priusquam, dum, donec, quoad

Antequam agatis, cogitate.

c – Per verba ipsa

Nominativo

Quarta hora nunc est.

Tertius dies est, quo non desinit pluvia.

Jam sunt tres anni, quod Lutetiae habitat.

Accusativo

Tres menses Romae mansit.

Ablativo

Quarto anno coepit visiones habere.

Duobus annis abhinc advenit Lutetiam.

2 – CONFABULATIO

Bini sodales respondent his quastionibus:

- 1) Quando natus est Alexander Magnus?
- 2) Quamdiu Lutetiae habitas?
- 3) Quando erectus est Colosseus? Nerone regnante?
- 4) Quoties ivisti Romam?
- 5) Quid agendum est prius quam Africam visites?
- 6) Quando poterunt Sinenses prima orbis potentia dici?
- 7) Quousque stetit imperium Romanum?
- 8) Quo facto constituit Alexander Magnus orbem totum subigere?

3 – SCRIPTUM ANONYMI DE PRIMA CRUSADA, 1097

Interea, redditia civitate et Turcis deductis Constantinopolim, unde imperator magis magisque gavisus quod civitas redditia sit ejus potestati, jussit maximas eleemosynas erogari nostris pauperibus. Denique prima die qua recessimus a civitate, venimus ad quemdam pontem ibique mansimus per duos dies. Tertia autem die, priusquam lux cepisset oriri, surrexerunt nostri et, quia nox erat, non viderunt tenere unam viam, sed sunt divisi per duo agmina et venerunt divisi per duos dies. In uno agmine fuit vir Boamundus et Rotbertus Nortmannus et prudens Tancredus et alii plures; in alio fuit comes Sancti Egidii et dux Godefridus et Podiensis episcopus et Hugo Magnus comesque Flandrensis et alii plures.

Tercia vero die irruerunt Turci vehementer super Boamundum et eos qui cum ipso erant. Continuo Turci cuperunt stridere et garrire et clamare excelsa voce, dicentes diabolicum sonum nescio quomodo in sua lingua. Sapiens vir Boamundus videns innumerabiles Turcos procul stridentes et clamantes diabolica voce, protinus jussit omnes milites descendere (...)

Mirabantur ergo nostri valde unde esset exorta tanta multitudo Turcorum et Arabum et Saracenorum et aliorum quos enumerare ignoro, quia paene omnes montes et colles et valles et omnia plana loca intus et extra undique erant cooperta de illa excommunicata generatione.

Vocabularium commentariaque

agmen: exercitus ambulans in fila

dividere per duo agmina: rectius dicitur “dividere in duo agmina”

comes: vulgo *comte*, quamquam in latinitate classica indicet sodalem sive socium

cooperire: tegere, replere. Latine dicitur cooperta + ablativo, sine “de”

dux: vulgo *duc*

ejus (l. 2): latinius dixisset “suae”

eleemosyna: donum, quod fit pauperibus pro amore Dei

erogare: dare, tribuere

excelsus: altissimus

exoriri: exire, advenire...

Flandrensis: ex provincia quae vocatur “Flandria”

garrire: loqui celeriter atque vehementer sine intermissione

gavisus quod sit redditia: latinus utendum indicativo, “gavisus quod est”

generatio: pro genus, gens, populus

planum (locum): platinites

Podiensis: ex urbe nomine Podium, vulgo *Le Puy*

protinus: recte prorsum

reddere: parum latine, scriptor enim juxta linguam vernacularē *rendre* latine scripsit

stridere: clamare acuta voce

non viderunt tenere: non potuerunt servare, aut manere in una via